



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

244 An Princeps temporalis vel etiam Episcopus loci possit mutare pias
fundationes in alios vsus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

243
 Hospitalis cū
 domo priuata,
 permutatio.

domo quapiam priuata (laicorum nempe domicilio) siue ad laicos pertinente siue ad Ecclesiam aliquam, permutari vllō modo possit sine vitio simoniæ quātumlibet ambo permutantes eam permutationē cum primis optarēt perfici. Contingit his interdum temporibus vt partim per hæreticorum partim per militum grassationes Monachis vel Religiosis ruri degerere periculosum sit, qui domos suas priuatas in vrbibus & intra mœnia sitas neq; tamen satis amplas nec ipsorum capaces desiderant permutare cum hospitalibus quibusdam tum capacioribus tum sibi multò cōmodioribus; idque reluctantis hospitalariis vel aliis quorum tale quid fieri plurimū interest. Quæritur an propter bonum publicū Princeps temporalis, vel Episcopus etiam loci, possit hanc imperare perficique curare permutationem? Ac de iure respondendum videtur, nullo modo posse; sed hoc totū soliū esse Summi Pontificis; Clement. 2. in princ. de relig. domib. vbi non tantū Glossographus verum etiam contextus ipse soli reseruant Pontifici mutare vel, vt Glossographus ibi loquitur, alterare consuetum talis religiosæ domus vsum in alium quemcumque; quantumlibet consentientibus etiam partibus. Quæ quidē Clementina per Cōcilium quoque Tridentinum sess. 7. cap. reformationis 15. fuit renouata. Quinimmo generaliter idem Concilium sess. 25. reformat. 8. præcipit ad amissim obseruari fundationes antiquas iuxta primum suum institutū.

224
 An Princeps
 temporalis vel
 etiam Episcopus
 loci possit
 mutare pias
 fundationes
 in alios vsus.

stitutum quatenus vlla ratione fieri poterit, iussis Episcopis obseruari curare quidquid à fundatoribus expressum fuerit. Quæ omnia tantò iustiùs obtinere debent quantò fundationes oppidanæ sic per exteros petitiæ depræhenduntur antiquiores fortè foundationibus eorundem petentium; Nam quantò verustior & antiquior est aliqua Religio seu religiosus ordo, tantò simul est fauorabilior cap. ult. de religiosis domib. nisi fortè degenerarent antiquiores, & noui singulariter essent Ecclesiæ labenti vel vtilis vel necessarij; sicut hac tempestate Patres optimi Societatis nomine IESV, quorum institutis equidem lubenter illud accommodauiero *Concedant antiqua nouis*. Porro ne prophanis quidè in rebus à testatorum seu fundatorum voluntate temerè recedendū est, nisi vel id quod illi voluerunt commodè perfici non possit vel cōiectura quæpiam voluntatis eū vtilitate publica concurrat: quibus casibus adhuc non aliter quàm solius autoritate supremi Principis id permittitur l. 1. & l. 4. ꝛ. de administr. rer. ad ciuitat. pertin. & l. ult. ꝛ. de operibus publicis & l. legatum. ꝛ. de vsufr. legato. facit eòdem cap. tua nobis. de testam. & ibi Panorm. num. 4. & Couarr. numer. 7. & Auth. de Ecclesiast. titu. §. si quis autem pro redemptione captiuorum. qua de re nos quoque plura diximus in Commentario de iure exequendi testamenta nume. 42. Caterum non male notauit Glossographus hic noster ad hanc vocem *Beneficia*,

i v rectè

245
Antiquarum
foundationum
obseruatio per
Concil. Tri-
dēt. præcepta.

246
Societas no-
minis IESV
religionibus
antiquis præ-
ferenda.

247
Profanis in
rebus à testa-
torum volun-
tate quatenus
recedi possit.